

In questo modo si potrà evitare anche il danno che, dagli istituti non ancora qualificati, risulta alla Chiesa e a quelli che hanno cercato di aggiornarsi e di rispondere alle nuove esigenze.

DECLARATIO "CONSILII" CIRCA INTERPRETATIONES TEXTUUM LITURGICORUM "AD INTERIM" PARATAS

Per doverosa conoscenza segnaliamo quanto è stato pubblicato su "Notitiae" (commentarii ad nuntia de re liturgica edenda cura Consilii ad exsequendam Constitutionem de Sacra Liturgia), n. 45, marzo 1969, pag. 356.

Circa Instructionem ad populares interpretationes liturgicas apparatus, in praecedenti fasciculo Notitiae publici iuris factam, et transmissam ad Praesides Conferentiarum Episcopaliū, ad Praesides Commissionum liturgicarum nationalium necnon Commissionum mixtarum, quoddam ortum est dubium relate ad textus *ad interim*, nempe: Utrum textus ad interim transmittendi sint ad "Consilium" antequam promulgentur.

Praedicta "Instructio" de hac re loquitur bis in n. 42, ubi dicere *videretur* tales textus sub *una* responsabilitate Commissionis liturgicae vel Conferentiae Episcopalis promulgandos esse.

Textus Instructionis non est clarus: 1) nec quoad potestatem, quae *videretur* concedi Commissionibus liturgicis; 2) nec quoad confirmationem ex parte "Consilii" praedictorum textuum *ad interim*.

Quoad *primum*, dicendum est in vigore manere decisionem "Commissionis centralis... Concilii decretis interpretandis", quae relata est in *Notitiae*, 1968, p. 364 (Cfr. *Acta Ap. Sedis*, 50 (1968) 361), nempe: Conferentia delegare non potest Commissioni liturgicae munus conficiendi interpretationes liturgicas populares et *illas approbandi*, ut adhibeantur ad *interim*. Proinde saltem Consilium Praesidentiae ipsius Conferentiae illas approbare debet.

Quoad *secundum*: in vigore manent quae statuta sunt et publici iuris facta in *Notitiae*, 1968, p. 365, id est: ad "Consilium" transmittendas esse pro confirmatione etiam interpretationes populares *ad interim*, postquam Commissio liturgica Nationalis et saltem Consilium Praesidentiae Conferentiae illas approbaverint.

Agitur enim de textibus et formulis, interdum summi momenti, qui publice et officialiter adhiberi debent in celebratione liturgica, et maxime interest ut omnibus condicionibus requisitis perfectionis et fidelitatis praediti sint. Insuper, deficiente approbatione totius Conferentiae Episcopalis, "Consilii" confirmatio constituit unitatis et harmoniae sigillum et pignus.